PSALMI ALIQUOT
DAVIDICI,

In Metrum Latinum
Traducti.

1507/1509.

CUM ADJECTIONE
Decem Pſalmorum ad notas ſuas Muſicas (ut in Anglicana verſione)
Compoſitorum.

In uſum Academiæ.

Cum Conciones habeantur
ad Clerum.

OXONIÆ.

Excudebat W.H. & venales proſtant
apud RIC. DAVIS. 1670.

PSALMI ALIQUOT
DAVIDICI,

In Metrum Latinum
Traducti.

1507/1509.

CUM ADJECTIONE
Decem Pſalmorum ad notas ſuas Muſicas (ut in Anglicana verſione) Compoſitorum.

In uſum Academiæ.

Cum Conciones habeantur
ad Clerum.

OXONIÆ.

Excudebat W.H. & venales proſtant
apud RIC. DAVIS. 1670.

BRITISH MUSEUM
30
OCT
66

PSALMVS PRIMVS.

BEeatus vir non ambulans, cum peccatoribus



Se pravis non aſſocians, nec ſannionibus.

2 Sed in præceptis Domini.
Eſt ejus gaudium,
Et in hac lege cœlicâ
Inceſſans ſtudium.

3 Ut fructum arbor rigua
Fert ſuo tempore,
Et frondes firmas; ſingula
Sic agit proſperè.

4 At certe conſimiliter
Non erit impius;
Sed erit inſtar pulveris;
Qui fit ventivagus.

5 Idcircò in judicio
Non ſurgent impii;
Non ſtabunt in conſortio,
In quo ſunt integri.

6 Nam viri juſti ſemitam
Cognovit Dominus;
Et in viâ malitiæ
Perdetur impius.

IDEM.



Beatus vir conſilia Malorum deſerens



Riſorum linquens Cathedras Peccantes reſpuens.

2 Qui in mandatis Domini
Exercet animum,
Noctes dieſque ruminans
Cœleſte pabulum.

3 Floreſcit inſtar arboris
Ad ripam conſitæ,
Quæ ſuo florem germinat
Et fructum tempore.

4 Illius nunquam dicidet
Marceſcens folium,
Et ſi quod opus inchoet
Exhibit proſperum.

5 Nil tale peccatoribus
Continget : aridas
Sed ſicut ventus flatibus
Diſpellit paleas.

6 Nec ſtabunt in judicio
Cum ſanctis impii ;
Juſtorum contuberniis
Pellentur refugi.

7 Nam vias novit optime
Juſtorum Dominus :
Sed impiorum ſemita
Peribit funditus.

PSALM. XIII.



Quouſque ſervum Domine, Mærentem Deſeres ?



Quouſque Lumen Gloriæ Iratus auferes ?

2 Quouſque

2 Quousque salsæ defluunt
Per genas lachrymæ ?
Quousque curæ distrahent
Quietem animæ ?

3 Cur pergit hostis insolens
Sarcasmos addere ?
Cur fastu quærit intumens
Triumphos agere ?

4 Ne latè sic impietas
Grassetur libera,
Quum Totus sis benignitas
Clementer adjuva.

5 Ne teneantur oculi
Lethali vinculo,
Privatur vultus famuli
Dum cæli radio.

6 Ne jactet hostis arrogans
Me fractum viribus,
Aut dicat æstu fluctuans
Victum doloribus.

7 Nam si tantillum prævalet,
(Vel falso robore)
Quantos clamores efferet
Ex imo pectore.

8 Sed mea intùs Anima
Exultans gestiet,
Dum tantâ Deus gratiâ
Servum afficiet.

PSAL. XLII. *Cant. ut Psal.* 51. *vel ut Lamen.*

Ut ad aquarum flumina Cervus anhelus glocitat, sic mea



Deus anima Te avidè desiderat. Est Dei fortis appetens Dei



viventis anima, O quando Dei rediens adstabo in præsentia.

Sunt mihi cibo lachrymæ
Jejunum corque ingemit,
Dum dicitur quotidiè,
Quo Deus tuus abiit ?

Hæc recordatus tacitus,
In me effundo animam :
Sed bonitatem protinus
Reduco in memoriam.

O quam illius temporis
Conſolor me imagine
Cum domum Dei canticis
Adibam multitudine:
Cum me ſequutus populus
In cantu Jubilantium
Lætitiarum vocibus
Et feſta celebrantium.

Quid mea in me perſtrepis
Mens ægra teq; crucias:
Spera, nam adhuc luminis
Saluti agam gratias.
Mens intus mæret; aviis
At è Jordanis Saltibus
Et Libani exiguis
Te recordabor rupibus.

Abyſſus alt'rum invocat
Ab alveis canalium:
Me gravis fluctus irrigat
Aquarum ſalientium.
Sed Iah præſtabit gratiam,
Et noctu ſuum canticum;
Ad illum preces dirigam
Salutis meæ Dominum.

Sum hoſtibus ludibrio
Et mentem dolor dejicit
Dum riſu rogant impio;
Quo Deus tuus abiit?
Quid mea in me preſtrepis
Mens ægra teque crucias.
Spera; nam adhuc luminis
Saluti agam gratias.

Pſalm. XLIII.

Cantetur ut Pſal. 1. *Vel ut* Pſal. 13.

1 SUpreme Judex omnium
Me preſſum ſubleva;
Agente me circumſitum
Non ſanctâ vindica.

2 Tu Deus fortitudinis
Et fortalitium
Cur hoſti ſervum deſeris,
Cruento deditum?

3 Et cur incedo tetricè,
Dum ſævit impius?
Tu veritatis lumine
Demiſſo cœlitùs

4 Illuſtra, quod me dirigat
Ad montis apicem,
Et Tabernaculo collocet
Quo tecum habitem.

5 Purus Altare viſitem
Cum thymiamate;
Et Deum meum geminem
In voce citharæ.

6 Cur ô turbaris anima,
Cur me excrucias?
Tu Deum ſupplex invoca,
Et fidens adeas.

7 Is vultus mei radius
Dat cordi gaudium,
Hunc confitebor laudibus
In omne ſeculum.

PSALM. LXVII.



Miſerere noſtri Salvator Domine, Et



Vultus nocte obſitos Illuſtra lumine.

2 Terrarum incolis
Sit via cognita,
Sit Sanctis ſalus Gentibus
Cunctis conſpicua.

3 Confiteantur re
O Deus populi;
Per univerſum celebrent
Te laude ſinguli.

4 Lætetur Gentium
Univerſalitas,
Quod æquitate populos
Et jure judicas.

5 Confiteantur te
O Deus populi;
Per unverſam celebrent
Te laude ſinguli.

6 Tum fructum proferent
Arvorum jugera:
Et benedicet Dominus
Terrarum ſemina.

7 Benedicet Dominus
Nobis: & diffiti
Timebunt illum undique
Terrarum anguli.

PSALM. LXX. *Cantetur ut pſal. 67.*

1 FEſtina Domine,
In adjutorium.
Et fer oppreſſo propere
Præſens auxilium.

2 Pudore rubeant
Qui nocent animæ,
Et perditorum pereant
Graves infidiæ.

3 Infami ſtupeant
Acti vertigine,
Qui eugè, eugè, clamitant
Ridentes impiè.

4 Lætentur interim
Erecti cordibus,
Qui te tuámque celebrent
Salutem laudibus.

Ego me pauperem
Agnoſco miſerum :
Veni ſalvator impiger
In adjutorium.

6 Moras abrumpito,
Fatiſco tremulus :
O liberator advola,
Et veni oeyùs.

PSALM. XCIII. *Cantetur ut pſal.* 100.

1. JEhova cum potentiâ
Regnat indutus robore :
Se majeſtatis gloriâ
Accingit tanquam chlamyde.

2 Ne moveat in ſeculum
Hic ſtabilivit aridam,
Et ante ævum conditum
Suam firmavit regiam.

3 Ut ut attollunt horridos
Fragorum ſonos flumina,
Et per aquarum alveos
Superba fremunt maria ;

4 At æu ex alto ſuperas,
Stant firma teſtimonia,
Et in æternum ſanctitas
Tua decebit atria.

PSALM. C.



1. Orbis Terrarum incolæ Sol quaqua facit ambitum

Laudate nomen Jehovæ quod eſt præ cunctis ſplendidum.

2 Servite in lætitiâ,
Et exultate gaudiis :
Adite Templi limina,
Et jubilate canticis,

3 Scitote, quòd sit Dominus
Nostræque Deus fabricæ;
Nàm gregis sumus illius,
Et suæ pecus pascuæ.

4 Intrate portus Jehovæ,
Paris orantes mentibus,
Benignitatem pangite,
Et prædicate gentibus.

5 Nam nullis est clementia
Dei claudenda Terminis;
Sed firma misericordia
Stat posterorum posteris.

PSALM. CXII.

Canetur ut Psal. 67.

1 BEatus Domini
Timore præditus,
Et in Divinis ambulans
Præceptionibus.

2 Ejus posteritas
Potenter efferet
In terra se, & prosperam
Ætatem transiget.

3 Fluent divitiis
Illius atria,
Durabit in perpetuum
Ejus justitia.

4 Lumen in tenebris
Nascetur subitò
Viro clementi, humili,
Justo, benefico.

5 Nam dabit mutuò
Et miserebitur,
Verborum cum judicio
Modum tuebitur.

6 Nunquam movebitur,
Quodcunque ingruet;
Rumores ore impavido
Quoscunque audiet.

7 Nam cor in Domino
Suffultum gestitat;
Dum ultionem hostibus
Bellator irrogat.

8 Dedit pauperibus
Dispersit largiter,
Laus ejus cum honoribus
Floresçet jugiter.

9 Videbunt impii
Et frendent dentibus,
Nec cedent desideria
Eorum mentibus.

PSAL. CXII. *Cantetur ut Pater Noſter.*



Beatus quiſquis Dominum, Et Le- jus recolit, ſemen in



Terris proſperum, Deus potenter evehit. In Domo



Affluentia. Et remanet juſtitia.

4 Lux oritur in tenebris,
Et emicat perſpicua
Habet in ejus oculis
Sedem miſericordia.
5 Vir juſtus dabit mutuo,
Res agit ex officio.

6 Certe non talis decidet
Vigebit ſed perpetuo.
7 Rumores malos negliget
Pio ſecurus animo.

8 Cor firmum, timor exulat
Hoſtes quòd preſſos videat.

9 Diſperſit dedit largiter
Æterna ſtat juſtitia.
En cornu elevabitur
Malorum cum invidia.
10 Immo frendebit dentibus
Mox periturus impius.

PSALM. CXIII. *Cantetur ut Pſal.* 112.

QUi Deum ſervi colitis,
Illum laudate canticis
Deinceps & in ſeculum :
3 Sol unde clarus oritur,
Donec curſu revertitur,
Sit nomen ejus ſplendidum.

4 Cunctis Jehova gentibus
Regnis terrarum omnibus
Et cœlo ſupereminet.
5 Quis Deo ſeſe conferat ?
Deo qui altè habitat ?
Rex, cœli throno inſider.

Mirè

Mirè ſe Deus deprimit
Ad infima dum perſpicit
In cœlo ſimul & terrâ.
6 Preſſo ſuccurrit properè,
Et erigit è pulvere,
Motus miſericordiâ.
7 Ad majeſtatem elevat,
Et facit ut confideat
Cum populi ingenuis.
8 Quæ ſterilis familiâ,
Sedet mater lætiſſima.
Allelu-iah cantabitis.

PSALM. CXIV. *Cantetur ut Pſalm.* 1. *vel ut Pſal.* 13.

CUm limitem deſeruit
Jacob Ægyptium,
Et cum ſervile Iſrael
Liquit hoſpitium :

Tum Juda Sanctuarium
Jehovæ audiit,
Et Iſrael Dominium
Supremi ſubiit.

3 Quod mare videns junceum
Metu reſiliit,
Jordanis unda ſentiens
Retrorſum abiit.

4 Montes inſtar Arietum
Dare tripudium
Cœpêre, colles humiles
Ut agni ovium.

5 Quâ mare vi perterritum
Fugiſti inſolens?
Quâ motus es potentia
Jordan reſiliens ?

6 Quis montes in tripudium
Inſtar Arietum,
Colles ſalire compulit,
Ut Agnos Ovium ?

7 Tremiſce Tellus impotens
Præſente Domino ;
Coram Jacobi præſide
Tu contremeſcito,

8 Nam Petras hic in fluidum
Convertit laticem,
Et in aquarum gurgites
Horrentem ſilicem.

PSALM. CXVII. *Cantetur ut Pſalm.* 1.

1 O Gentes omnes undique
Laudate Dominum,
Illum laudate populi,
Per orbis ambitum.

2 Nam ingens eſt hominibus
Illius Bonitas ;
Et in æterna ſecula
Jehovæ veritas.

3 Sit laus Trin-uno Domino
Honor, & gloria,
Ab univerſo populo
Per cuncta ſecula.

Pars

Pars 5a PSAL. CXIX. Cant. ut Pſal. 1. vel ut Pſal. 13.

1 LEgum tuarum ſemitam
Me doce Domine,
Ad uſque vitæ terminum
In ſ hâc me dirige.

2 Legis tuæ peritiam
Concede famulo,
Et exercebo ſpiritum,
In ejus ſtudio.

3 O Deus, quicquid præcipis
Fac hoc percipiam;
Ut totum in hoc ſtudium
Votumque habeam.

4 Tuas ne leges violem,
Eſt votum unicum;
A turpis lucri ſtudio
Avertas animum

5 Averte meos oculos
Ne vanum videant,
Vitam & lucem greſſibus
Mandata præbeant.

6 Verbi ſacrum eloquium
Confirma famulo:
Te ſolum ſemper recolo,
Te ſolum metuo.

7 Aſannis & opprobrio
Me ſemper vindica;
Sunt tua in perpetuum
Juſta judicia.

8 Amavi corde intimo
Mandata cœlica;
Legis tuæ juſtitiâ
Servum vivifica

PSALM. CXXII.

COrde reficimur, Eo quod dicitur Domum Jehovæ petimus,



Quod figimus pedē in te Hieruſalē, urbs quæ cōſtructa pulchrius?

Simul confluxerant, Et huc aſcenderant Dilectus Tribus Domini,

Ut teſtimonium Deut, & elogium Omnipotentis nomini.

5 Nam

5 Nam ibi ponitur
Et conſtituitur
Thronus juris Davidici.
6 Pacem expetite
In Hieroſolymæ
Muris fautores ſinguli.
7 Sit pax palatiis
Et in tentoriis;
8 Nam ſociorum gratiâ;
Et delectiſſimi
Ob templum Domini
Læta precabor omnia.

PSALM. CXXIII. *Cant ut Pſal.67.*

1 LEvavi oculos
Ad te ô Domine,
Qui cœli culmen habitas
In claro lumine.
2 Herorum digitos
Ut notant famuli,
Aut ancillarum Dominam
Sequuntur oculi;
3 Sic ad te flectimus
Obtutum ſeduli,
Dum miſerendo liberas
A Faſtu Impii.
4 Eſto propitius
Salvator optime,
Et miſerere quæſumus
Deſpectæ animæ:
5 Quæ ſannis divitum
Expoſta languefit,
Et ſuperborum ſatura
Contemptu ingemit.

PSAL. CXXVIII. *Cant.ut Pſal.67.*

1 BEatus Dominum
Timore proſequens,
Et greſſus in cœleſtibus
Mandatis dirigens.
2 Laborem manuum
Tuarum comedes,
Et fortunarum cumulum
Adauctum ſenties.
3 Ut domum extimam
Venuſtat botrubus
Vitis: ſic partes intimas
Uxor virtutibus.
4 Menſam circumdabit
Natorum circulus.
Ut Olivarum plantulæ
Agrorum ambitus,
5 Sic proſperabitur
Vir timens Dominum,
Totius vitæ tranſiget
Felix curriculum.
6 Et Sion Dominus
Te dabit ſoſpitem;
Bonorum te Jeruſalem
Reddet participem.
7 Ut pace Iſrael
Fruaris ſuaviter,
Natos natorum intuens,
Felices jugitèr.

PSAL. CXXXI. *Cant.ut Pſal.1.*

1 NOn unquam mihi Domine
Inflatus animus,
Nec grandi Supercilio
Elatus oculus.
Nec altè greſſum ſuſtuli
In rebus arduis:
Sed ablacta puero
Incedo ſimilis.
3 Ceu puſus infans ubere
Repreſſi animum:
A deo pende Iſrael,
Nunc & in ſeculum.

PSAL. CXXXIII. *Cant.ut Pſal.1. vel ut Pſal.13.*

1 ECce quã bonum, commodũ,
Et quàm eſt ſplendidum,
Fratres cùm ſtrictè teneant
Amoris vinculum.
2 Ut balſamum, quod capiti
Aaronis funditur,
Per barbam, inde veſtium
Oras allabitur.
3 Ut ros è ſacris montibus
Diſtillans ſuavitèr,
In hoc ſalus à Domino,
Et vita jugitèr.

IDEM *Cant. ut Pſalm.* 67.

1 ECcce quàm commodum,
Et bonum fratribus,
Si mutuis cohabitent
Conjuncti cordibus.

2 Eſt compar oleo
Aaronis piſtico,
Quod ſummo fuſum vertice,
Rore nardifluo,

3 Perfudit integram
Barbam; hinc pendulas
Deſcendit veſtis imbuens
Odore fimbrias.

4 Aut monti Hermonis
Qui crebris alluit
Montes Sionis imbribus,
Et pingues efficit.

5 Hic dat Omnipotens
Bonorum cumulum,
Et vitæ tandem tribuit
Æternæ præmium.

PSALm. CXXXVII. Cantetur ut Pſal. 1.

1 AD fluvios in Babylon
Mæſti ploravimus,
Dum montem Dei (O Sion)
Te memoravimus.

2 Hic tenuêre Salices
Lugentes citharas,
Et gemibundas latices
Senſêre voculas.

3 Qui nos captivos duxerant
Petebant cantica,
Ut olim quando ſteterant
Sionis mœnia.

4 Quis autem voces Muſicas
Proferre potuit,
Ubi Jehovæ ſanctitas
Procul evanuit?

5 Quin terræ natalitiæ
Si non meminero,
Et (Salem) te lætitiæ
Caput poſuero:

6 Ne digitus tunc calleat
Lyram vel tympanum,
Palato & adhæreat
Loquelæ organum.

7 En Edomæi clamitant:
Vaſtate mœnia,
Vaſtate rurſus iterant,
Cernamus rudera.

8 Beatus qui nequitiæ
Ultor advenerit
Babelis, & lætitiæ
Cauſas ademerit.

6 Beatus qui prehenderit
Eorum parvulos,
Ad duras & alliſerit
Petras articulos.

PSALM.

PSALM. CXLVIII.

LAudate cœlites Jehovam Canticis, ejuſque milites



Choris Angelicis: Sol jugiter et Lucida Cœli ſidera



Illumque æther.

Et nubes ætheris
Laudate gloriam
Jehovæ nominis,
Qui mundi fabricam
Creavit
Et decreto
Oris cælico
Firmaverit.

Et vos terreſtria,
Mare, & abyſſi,
Cete immania,
Piſces æquorei,
Et procellæ,
Nix, & ignes,
Illum grandines
Collaudate.

Jehovam arbores
Laudent fructiferæ,
Cedrique & montes,
Omneſque beſtiæ,
Et omnia
Reptilia
Volatilia
Et jumenta.

Terrarum judices,
Et Reges gentium,
Senes & juvenes,
Laudate Dominum;
Nam editum
Nomen ſupra
Altum æthera
In ſeculum.

Et cornu efferet
Iſraelitarum,
Et famam evehet
Eorum omnium
Qui amant Iah,
Et propinqui
Pſallent angeli
Allelu-jah.

PSALM.

PSALM. Ultimus Cantetur ut Pſal. 1. Vel ut Pſ. 13.

LAudate gentes Dominum
In Sanctuario;
In Sanctis ejus dicite
Laudes Pſalterio.

In ſono tubæ pſallite
Choris, & tympano,
In Cymbalis ſonantibus
Chordis, & organo.

Allelu-jah cantabimus
In voce jubili.
Et laudet omnis ſpiritus
Virtutem Domini.

LAMENTATIO.

C.



IN te Confido Domine, Exaudi me, Dum Clamito

Ad peccatorem reſpice, ſed pietatis oculo. Ecce quam

Semper doleat miſer peccata ingemens, Heu pœnas ullas



Subeat Tibi placere cupiens?

Non ſic, non ſic, efficias,
Tu peccatores corrigis,
Quos ſi contritos videas
Eorum voto annuis.
Exaudi vocem ſupplicis,
Crimen horrendum ablue,
Fons tui, Chriſte, ſanguinis
Nullo areſcit tempore.

Ad me, O Deus, propera,
Infunde mihi gratiam,
Ut cum hæc vita lubrica
Volabit, cœlo maneam
Quo regnas coætaneus
Patri, qui te huc miſerat,
Et chorus tibi cœlicus
Æternos hymnos geminat.

FINIS.